Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cendo fieret equalis. Non enim ad suam perfectionem adultus est tempore, per quem facta creata sunt tempora. Ante omnia tempora patri coeternus est. Non enim umquam pater sine filio, eternus autem pater. Ergo coeternus et filius. Quid tu anima? Mortua eras, amiseras uitam. Audi patrem per filium. Surge, recipe uitam, ut in eo recipias uitam quam non habes in te, qui habet uitam in semetipso. Uiuificat ergo te pater et filius, et agitur prima resurrectio quando resurges ad participandam uitam quod tu non es, et participando efficeris uiuens. Resurge a morte tua in uitam tuam que est deus tuus, et transi a morte in uitam eternam. Habet enim uitam eternam pater in semetipso. Et nisi filium talem generaret qui haberet uitam in semetipso, non sicut pater suscitat mortuos et uiuificat, sic et filius quos uellet uiuificaret. Quid ergo de illa resurrectione corporis? Nam isti qui audiunt et uiuunt, unde nisi audiendo uiuunt? Amicus autem sponsi stat et audit eum, et gaudio gaudet propter uocem sponsi, non propter uocem suam. Hoc est participando, non existendo audiunt et uiuunt. Et omnes qui audiunt uiuunt, quia omnes qui obediunt uiuunt. Dic aliquid domine etiam de resurrectione carnis. Fuerunt enim qui negarent eam et dicerent, quia ista sola est resurrectio que fit per fidem. Cuius resurrectionis modo dominus fecit commemorationem et inflammauit nos, quia quidam mortui audiunt uocem filii dei et uiuent. Non ex eis qui audierint alii morientur et alii uiuent, sed omnes qui audierint uiuent, quia omnes qui obaudierint uiuent. Ecce uidemus resurrectionem mentis. Num ergo amittamus de fide resurrectionem carnis. Et nisi tu domine ihesu dixeris eam, quem opponemus contradictoribus? Omnes enim secte que se aliquam religionem hominibus inserere presumpserunt, non negauerunt istam mentium resurrectionem, ne diceretur eis: Si non resurget anima, quare mihi loqueris? Quid in me facere uis? Si non facis ex deteriore meliorem, quare mihi loqueris? Si non facis ex iniquo iustum, quare mihi loqueris? Si autem facis ex iniquo iustum, ex impio pium, ex stulto sapientem, fateris resurgere animam meam si tibi obtemperauero, si tibi credidero. Uolentes ergo credi sunt omnes qui instituerunt alicuius etiam false religionis sectam, negare istam resurrectionem mentium non potuerunt. Omnes de illa consenserunt, sed multi carnis resurrectionem negauerunt. Dixerunt in fide iam factam esse resurrectionem. Talibus resistit apostolus dicens: Ex quibus est hymeneus et filetus qui circa ueritatem aberrauerunt, dicentes

Aliter quod dicit ad faciendum aliquid non indiget aliquibus [illegible] facere. Unde non exigit id quod agit sed solum quod agit.

De Resurrectione.